

§. 5. Excipiunt diversum sentientes, verbum perire non semper notare interitum quoad substantiam, sed interitum quoad accidentia. Sic impii dicuntur perituri in die iudicii II. Petr. III, 7. non tamen quoad substantiam. Resp. 1. Cœlorum interitus d. l. opponitur perseverantiæ & persistentiæ DEI. Sicut autem DEUS persistit quoad substantiam, ut nunquam intereat: ita è diametro cœli interitus quoad substantiam significatur. 2. Si perire cœlos est accidentaliter eos mutari, non autem quoad substantiam interire, aut significatur mutatio accidentalis in melius, aut in deterius, non hoc posterius, quia inauditum est, DEUM cœlorum aliarumque rerum mutationem quoad accidentia in deterius moliri sub finem hujus universi, cum ipsi dissentientes statuunt, fore ut manente substantia universi quoad accidentia illud perficiatur. Si prius, non dixisset Psalmista cœlos esse perituros, cum res, quæ ratione accidentium in meliorem statum transfertur, non dicatur perire. Excipitur: Usurpari מלך mutavit. Resp. Etiam de substantiali mutatione accipitur hoc verbum, Esa. II, 18. idola mutabuntur, i. e. Ergo cessabunt sive peribunt.

§. 6. Arg. 2. Si in consummatione Seculi cœlum & terra non amplius habebunt locum, sequitur ea interitura esse quoad substantiam. Antecedens est verum, Ergo & Consequens. Antecedens probatur ex Apoc. XX, 11. *Vidi sedentem super thronum, à cuius conspectu fugit terra & cœlum, & locus eius non est inventus*, i. e. nullibi hæc corpora inventa, quia destructa.

§. 7. Arg. 3. Quæ in consummatione Seculi dicuntur abire & non esse, ea quoad substantiam intereunt. Cœlum, terra & mare &c. Ergo. Minor probatur Apoc. XXI, 1. *primum cœlum & prima terra abiit, & mare jam non est.*

§. 8. Arg. 4. Quæ in fine mundi transibunt, solventur, exurentur, ea interibunt quoad substantiam. Cœlum, ele-

Ccccc

menta